

Fl. 270

A) Remchingen Jr.

Tabl A 2) - 44)

nicht vorfindbar  
nach RK

ORATIO DE  
IVRISPRVDENTIA.

45

An sit diuinarum & humana-  
rum rerum notitia, ius-  
ticia atque iniusticia sci-  
entia, secundum Ictum Vlpianum in l.  
iustitia 10. ff. de iust. & iure.

A CYRIACO EDINO LVNAEBVR-  
*gensi, Legum Candidato publicè proposita*

IN ACADEMIA IV-  
LIA HELMSTADII  
pridiè Calend. Septemb.  
Anno 1575.

*In cyplo*

*Horat. lib. I. Epist. ad Quintium.*  
Tu rectè viuis si curas esse quod audis,  
Iactamus iam pridem omnis te Roma beatum.



MAGDEBURGI,  
EXCVDEBAT ANDREAS GEHEN,  
M. D. LXXV.



ORATIO  
IURISPRUDENTIA

Abse divinitus & humanis  
LVM RRVAM NOTITIA  
STI ATOVA IUVITIS CL  
cuius, secundum Iohannem Vespasianum in I.  
Instituto. R. de iur. & iur.

A CYRILLO EDINO LVNABVR  
Goff. I. G. in Cancellaria p. de iur. p. de iur.

IN ACADEMIA  
LIA HELMSTADII  
Anno 1777

Herrn, Hr. R. Epist. ad O. p. de iur.  
Theod. v. de iur. si quis esse quod ad  
Iohannem in p. de iur. omnis re. Rom. de iur.



MAGDEBURG  
EXCVDERAT ANDREAS GERNH  
M. D. LXXXV



# AMPLISSIMIS

VIRIS, SAPIENTIA, DOCTRINA  
ET INSIGNI HUMANITATE ET PIE

tate excellentibus, atq; antiqua generis patricij prosapia, clarissimis Dominis,  
LVDOLPHO à DASSEL, D. LVDOLPHI filio, & utriq;  
LVDOLPHO à DASSEL, D. Francisci & D. Christophori filijs, Pa-  
truo & Patruelibus in inchtâ Repub. Lunæb. Patribus delectis, Dominis,  
Mecœnatibus & amicis suis antiquis, omni reue-  
rentiæ cultu obseruandis.



AMPLISSIMI VIRI, SAPIEN-  
tiæ, doctrinæ & dignitatum ornamentis clarissimi,  
Id quod Poëta Claudianus ait, Virtute decet non  
sanguine nasci, perpetuò ante oculos uersari debet,  
ceu symbolon aut insigne quoddam in politissima  
Apellis imagine, ad cuius memoriam & intuitum,  
nostræ conditionis simul & uitæ laudabiliter ge-  
rende recordatio cotidiana nobis occurrat. Sicut  
enim magna felicitas est, splendore natalium, ordi-  
num & opum prerogatiua alios antecellere, ita longè maior beatitudo, doctri-  
nam liberalium artium, & diuinarum humanarumq; rerum noticiam perspes-  
ctam habere, & inprimis agnitione Dei, iustitia & pietate uera instructum  
esse, cuiusq; eminentia quadam cæteris præluccere. Neq; enim hic summus nobilita-  
tis gradus est,

Sanguine censerî, pictosq; ostendere vultus  
Maiorum & stantes in curribus Aemilianos,  
ut Iuuen. inquit, sed uirtutis, sapientiæ, iustitiæ, fortitudinis, doctrinæ & elo-  
quentiæ illustribus donis excellere, quibus quidem Dei gloria, Patriæ, Ecclesiæ  
& Reip. salus continetur, & uniuersi humani generis consociatio in optimo  
statu conseruatur. Hinc est illud Antisthenis philosophi, Ἦς ἕστω ἑὺκλεῖς  
τοῦς καὶ εὐαγέτης, in quam sententiam Cic. 2. Off. inquit, quod Socrates  
hanc uiam ad gloriam proximam & quasi compendiarium dixerit, si quisq; id  
ageret, ut qualis haberi uellet, talis esset. Constat autem, ordinum distinctio-

nem diuinitus institutam esse, & quidem in familijs nobilium affectus ardentiores, & heroicos ad uirtutis culturam reperiri, tamen nihilominus doctrinae & legum exercitijs, atq; honestorum exemplorum documentis, animos ad uirtutum amorem & praxin assuescieri, exuscitari & confirmari consentaneum est, id quod asserit Horat. oda 4. lib. 4.

Doctrina sed vim promouet insitam,  
Rectiq; cultus pectora roborant,  
Vtcunq; defecere mores,  
Dedecorant benè nata culpæ.

Summus autem & immediatus uirtutis gradus atq; fundamentum est, Sapientia seu cognitio rerum & Orationis elegantia seu facultas disertè & perspicuè de rebus oblati posse dicere aut scribere, is qui est proximus omnium studiorum in re literaria, & uniuersalis finis atq; scopus: Rerum autem doctrina imprimis ex sapientia religionis, seu cognitione sacrarum literarum petenda est, ut monuit religiosa antiquitas ἡ τοῦ θεοῦ γυνώσις σοφία ὅσι καὶ ἀρετῇ ἀλλὰ διὸ. Vis autem eloquentiæ uti præcipuum Dei donum est, ita maximè philosophiæ & Oratorum scriptis cognoscendis comparatur. Hanc ob rem lectio sacrarum dogmatum & opt. autorum frequens esse debet ijs, qui ita uiuere, ut uixisse non poeniteat, & insignem aliquam nominis famam posteris mandare uelint, præsertim obscuræ gentis sanguine oriundis, ut quod Iphicrates de se prædicauit, generis nobilitas saltem sua initia ab aliquo capere possit. Neq; enim dubium, quin assuetudine lectionis simul animus amore & imitatione optimarum rerum afficiatur, & dulcedine quadam cognitionis cum uitæ actibus coniungendæ extimuletur. Nulla uerò ad hanc rem compendiosior uia erit, nisi si quis iusto ordine Iurisprudentiam cognoscat, diuinarum nimirum & humanarum rerum scientiam, neq; saltem nudam scientiam, sed ipsam realiam praxin, cum quod ceterarum artium & facultatum beneficio in theoreticam incidit, id legalis scientiæ ministerio executionem sortiatur. Magna ergò Iurisprudentiæ maiestas, cuius ueneratione & studio quisq; hominum afficiatur, quoniam eius ductu, cognitio cœlestis simul & ciuilis sapientiæ proponitur, quod quatenus à fide ueritatis non discedat, oratione nostra præsentem differuimus. Orationis autem disertæ, perspicuæ & elegantis facultas ex temporalis ex iisdem fontibus ciuilis sapientiæ & liberalium disciplinarum hausritur, ut diximus, Oeconomia uerò aliundè ex Rhetorum & Oratorum libris pendet. Verum enim uerò is, qui iustam legalis studij methodum sequetur,

quam

quam praedicta oratione persecuti sumus γενικώτατ & tamen νομικῶν καὶ ὁμοῦ  
ἐκκεκός, maximam eloquentiae copiam assequetur, & quasi in numerato habebit.  
Tum enim demum felix & perfectus Ictus erit, qui legum scientiam simul  
& iudicialium actionum exercitia dirimendis ambiguis causarum fati con-  
iungere, atq; ita gloriose uocis confusus munimine, laborantium spem, uitam  
& posteros defendere potest, prout Imp. Leo & Anthemius, magnifico ad-  
uocatos elogio euehunt in l. aduocati 14. C. de aduoc. diu. iud. Ad hunc era-  
gò modum fiet, ut mente pariter seu ratione, & oratione excultiores homines  
reddantur, quibus quidem tanquam illustribus Dei donis longissime ut Cic. lib.  
I. Off. inquit, à natura ferarum absunt, in quibus inesse fortitudinem saepe di-  
cimus, ut in Equis, in Leonibus, Iustitiam, aequitatem, bonitatem non dicimus,  
Sunt enim rationis & orationis expertes &c. Ita etiam amplioribus mentis  
& linguae ornamentis atq; opibus instructiores, ceteris hominibus ipsi prae-  
luere, eorumq; ora in se uelut Numen quoddam conuertere possint, non aliter

Quam pietate grauem ac meritis si fortè Virum quem

Conspexere, silent, arrectisq; auribus astant,

Ille regit dictis animos & pectora mulcet,

ut Virg. I. Aeneid. Hæc amplissimi & sapientissimi Viri ad uos ideo, non  
ut incognitum uobis aliquid afferam, ne ego noctuas Athenas, sed quod iisdem  
uestre sententiae suffragijs gaudeam, qui & ex antiqua pariter, & clarissima  
patricij sanguinis origine primordia uitae trahitis, & studiorum liberalium  
atq; uirtutum scientia excellitis, ut ambigam, maiusne gloria generis uel do-  
ctrinae praestantia ornamentum uestris natalibus addat. Proinde mihi gratula-  
tor hanc adolescentiae fortunam, me ubi ephœbian uix egrediebar ita numinis  
fato moderante, clarissimae familiae à D A S S E L domesticis ascriptum uox  
δμοῦ ἀπέρορ factum esse, cuius consuetudinis cotidianae beneficio me magnam  
pietatis, & liberalium disciplinarum usuram cepisse, & pulcherrima uirtu-  
tum exempla hausisse, in confesso est. Ideoq; ut par est, primitias hasce no-  
stras legalis scientiae uobis offero, leuidense quidem pro magnis familiae uestrae  
in me meritis munusculum, recordationis tamen & gratitudinis beneuolae ar-  
gumentum, neq; spe humanitatis & aequitatis erga me uestrae confusus aliter  
hanc inscriptionem uos accipere, meaq; erga uos singulos, & uniuersam ue-  
stram familiam obseruantiae, amoris & laudabilis memoriae studia fauorabili  
animo agnoscere, planè mihi persuadeo. Et quidem eò confidentius, cum in  
uotis habeam, fidem expectationis uestrae de felicitate peregrinationis nostrae

A 3

diuturna

diuturnæ sola solidioris doctrinæ causa susceptæ, aliqua ex parte impleri posse,  
neq; semina meritorum uestrorum sterili planè agro commendari. Ego enim si  
parua licet componere magnis, quod Epaminondas referente Plutarcho dixit, se  
hunc præcipuum suorum laborum fructum capere, quod parentes suæ gloriæ  
spectatores haberet, Sæpius id mente circumfero, & summam humanæ beatis-  
tudinis nostræ constituo, me uiuo eosdem uiuere, & meorum consiliorum atq;  
honestarum molitionum tolerabilem euentum spectare, quorum felicibus auspicijs  
prima doctrinæ fundamenta iecimus. Valete. Datum in arce

Rogeziana, diocœseos Magdeburgensis, Calendis Octob.

Anno uirginei partus, 1575.

V. Amplit.

deditiss.

Cyriacus Edinus.



ORATIO.



O R A T I O.



MAGNIFICE D. VICERECTOR, STRENUUS  
nobilissimi & amplissimi Viri, ceteriq; & doctrinae &  
virtutum ornamentis excellentes huius scholae IV-  
LIAE proceres, Solennis & iam antiqua in scholis  
recepta consuetudo est, more fori Romani, in quo  
eloquentiae flos vetus viguit & clariss. Oratores mundo produxit,  
inter eruditorum confessus aliquam philosophiae partem vel do-  
ctrinam virtutum oratione persequi, Eademq; consuetudo in in-  
gressu alicuius scripti iam olim obtinuit, atq; ideo maximè, cum  
non solum animos discentium amore rei literariae excolendae  
magis extimulet, sed multò magis quod sicut in causis agendis  
nefas videtur esse, nulla praefatione facta iudici causam exponere,  
ita interpretationem promittentibus inconueniens erit, omiſsis  
initijs & origine non repetita atq; illotis vt ita dixerim manib; pro-  
tinus materiam interpretationis omnis tractare: Nam nisi fallor  
istae praefationes & libentius nos ad lectionem propositae materiae  
perducunt, & cum ibi venerimus, euidentiore praestant intel-  
lectum, vt verbis Cañ I Cti vtar in l. i. ff. de Orig. iu. Atq; vtinam  
qui hodiè mos orandi in scholis frequentatur, ita etiam exercitia  
dicendae causae in publico iudicum & partium congressu non  
omnino consulescerent, quorum beneficio futilib; litibus placida  
colloquia, idiotis & iurium decoctorib; verè docti iurium DD.  
inani loquacitati Romana eloquentia, sinuosis ambagibus &  
longaeuis agendi terminis, stricta & compendiarie iudicia atq; om-  
nino iustitia iniustitiae succederet, vetusq; illa fori Romani ratio,  
legumq; ciuiliu germanus intellectus & vsus innotescere ite-  
rum, & penè ab interitu vindicari posset. Hodiè .n. vtut passim  
ex Liuiò & Cicerone praesertim eius Orationib; de veteri forma  
Reip. Romanae apparet, & in antiquitatis Romanae studio plu-  
rimum occupati fuere Balduinus & Ottomannus, & ante eos  
Grucchius, Sigonius, Iouianus, Quintilianus, Manutius aliq;ue,  
tamen plurimarum rerum noticiam adhuc desideramus, prout  
in hanc sententiam Iust. inquit, Omnia apertius & perfectius à  
cotidiano iudiciorum vsu in ipsis rerum documentis apparere.  
Sf. Inst. de satisdat. Quoniam verò & in hanc cathedram hu-  
ius

ius illustris scholæ IULIÆ ita diuina moderante gratia aditus  
mihi patuit, inueteratæ consuetudini mos gerendus, & ex ipsa  
circumfusæ longè honestissimæ coronæ animis atq; oculis atten-  
tis satis animaduertere licet, magnam spem conceptam nostræ  
alicuius elaboratæ orationis: Sed sentio sanè onus his humeris  
nimis graue incumbere, præsertim cum & de sententia illustrissi-  
mi & generosissimi Principis ac Domini, D. IULII, Ducis Brunf.  
& Lunæburgensium &c. Domini nostri clementissimi, & suffra-  
gio magnifici Domini Vicerectoris hanc cathedram conscende-  
rim, quorum expectatione & excellenti iudicio longè aridius &  
ingenium minusq; suauem linguam afferro, politissimas etiam  
vestras aures fortè offendo, quæ doctissimis quibusq; viris hacte-  
nus assueuerunt, quorum voces ceu dulcissima philosophiæ re-  
motioris acroamata adhuc animis vestris insident, & hocce loco  
& tempore sonare poterant, vt non tam ipso iure quàm spe  
æquitatis & humanitatis erga me vestræ confusus, hanc dicendi  
palæstram ingressus esse videar. Sed hoc me solatur vlla nec inge-  
nij temeraria arrogantia, nec proprio motu incitatum, verum  
consilio & autoritate præstantissimorū quorundam in Repub.  
literaria præsulum compulsam, me in hanc arenam descendere,  
vt si spei vestræ fides desit, eos solos maximè fefellerō. Longè n.  
alienus omnis ostentationis aut ambitionis à meo ingenio fucus  
est, vt qui simplicitatem legibus & veritati amicam exosculer,  
mecum etiam habitem & norim, quàm sit mihi curta supellex.  
Multò magis circumspicio, vt aliquam huius temporis frugem  
reportemus, ideoq; prout ratio impositi muneris poscit, Iustitia-  
næorum nouorum more ab ipsis principis & rudimentis iuris  
scientiæ exorsi, quædam rudia rudiorib. præfabimur, & pro pro-  
uestioribus solennem & quò ad ipsa verba & res intricatum §.  
Aequè. 2. ex tit. de Act. in manus sumere, & enucleare animus  
fuit, nisi temporis præscripti ratio me retraheret, præsertim cum  
præsentibus quibusdam celeberrimis Viris ieiuna & prolixa ora-  
tione obstrepere mihi religio sit. Quoniam verò cuiusq; rei  
cognitio à definitione pendet, hinc exordiamur, nimirū, Quod  
Jurisprudencia sit diuinarum atq; humanarum rerum notitia,

iusti

iusti atq; iniusti scientia l. iustitia 10. ff. de iust. & iu. Vnde in vestibulo Iust. Impp. repetitur. Hæc quod definitionis proprium est, cum ad naturam conuertibilium terminorum cum suo definito commodè conuerti non possit, tanquam illegitima à plærisq; oppugnatur, à plærisq; reijcitur. Quidam enim prima quoq; fronte in hac sunt sententia, quod orbis ille doctrinarum notetur, quem Græci ἐγκυκλοπαιδεία h. e. orbicularem seu ex omnium disciplinarum orbe confectam & perfectam scientiam vocant, Cicero lib. 3. de Orat. concentum doctrinarum omnium consensumq; appellat, Quæ definitio sanè est vniuersæ philosophiæ, teste Cicerone lib. 1. de Orat. Alijs verò magis aridet opinio Accursiana, doctrinam scilicet rerum sacrarum, quæ ad vniuersam noticiam Dei, fidem & religionem Christianam pertinent, tum etiam quæ ad optimæ Reip. idèam & humanorum negotiorum scientiam requiruntur, in legibus proponi. Magnum sanè vtramuis sententiam sequamur de Iurisprudencia elogium, magna eius maiestas & vtilitas proponitur, quod quatenus à veritate non exorbitet, videamus. Certo certius est, modò amplissimum illud legum ciuiliū pelagus peruolitamus & circumspicimus hinc inde, vniuersæ propemodum philosophiæ particulas & hypotheses quasdam passim in legib. spargi, Ethica nimirum, politica & œconomica præcepta, vnde suam Iurisprudencia maximè originem trahit. Tum verò plurima physicarum & medicarum quæstionum loca occurrunt, vt de Veneficis & venenis in l. eiusdem 3. ad l. Corn. de sicar. per totum. Adde l. qui venenum 236. de verb. sig. Ita de Abortionib. in l. Cicero 39. l. pregnantis 3. de pœn. Ita de perfecto partu in l. septimo mense 12. de sta. hom. Item quinq; liberos vnico partu nasci posse in l. si pater 36. de solut. & liberat. De animalium natura in l. naturalem 5. de adq. rerum dom. per totum. & in l. 2. ad l. Aquil. vbi etiam de pastu pecorum. Eò amplius plurimæ leges Arithmetica & Geometrica attingunt, absq; quarum artium adminiculo materia Alluionis, Insularum, Seruitutum, Finium regundorum, Vltimarum voluntatum, Usurarum & si qua sunt similia, intelligi omninò non potest. Huc alludit epigramma, in quod nuper incidi:

B

Quam

*Quam causam esse putes, Pelagus legum Oceanumq;*

*Vulgus perpetuò dicere cur soleat ?*

*Ethica cum Numeris, Logicamq; ex legibus ipsis*

*Tollito, iam paruus Riuiulus hic suberit.*

Imò sunt qui in notabilib. suis asserere aufint, nullam ferè artium  
mœchanicarum existere, cuius in iure non fiat mentio, iuncta  
præsertim glossa Accursiana. Huiusmodi est quod architectis præ-  
scribitur, nimirum vt asseres antequam ædificio inserantur, ab  
humoribus exiccent c. fi. 48. dist. Ita Coci informantur ex qui-  
bus herbis falsamentum conficiatur per gl. in l. quidam 7. de triti-  
co leg. vbi magis vide. Ibidem in l. si quis vinum 9. de varijs gene-  
ribus vini conficiendis. Acetum etiam ex aqua fieri posse & quo-  
modo fiat est gl. in l. in venditionibus 9. de contrah. emt. &c.  
Sed vt diximus hæ sunt tantum ipsarum artium particulae quæ-  
dam & ceu lineamenta vel potius centones, quos ICTi in specie  
tantum suis responsis inseruerunt, atq; finitiones & causas eo-  
rum ipsis philosophis in quorum scriptis ex professo artes ipsæ  
proponuntur, disceptandas reliquerunt. Hinc Zasius nostro  
seculo ICTus tota Germania celeberrimus in oratione quadam  
de Pandectis inquit: Eas omnem propè philosophiam conti-  
nere & quæ naturæ & quæ morum sit, quæue ratione confi-  
stat, vt qui Pandectarum libros acquisitè legerit, acutèq; pen-  
sitauerit, is tam variarum doctrinarum vestigia velut impres-  
sa illic experiatur, vt eam Vitruuij sententiam qua inter scien-  
tias rerum quam coniunctionem communicationemq; esse di-  
cebat, facile sit comprobaturus, attestante in suo Lexico D. Spi-  
gelio. Nec tamen inquit Zasius, in Pandectis integræ illæ sunt  
doctissimorum hominum traditiones, sed veluti à solidis cor-  
poribus diuulsa dissectaq; membra, ita ab archetypis ICTo-  
rum libris volumina nostra decerpta & centonis instar consu-  
ta sunt. Hinc autem facile liquet & consequitur, nemini feli-  
cem cognoscendæ Iurisprudentiæ aditum fore, quam ex verita-  
te intelligat & profiteatur, nisi cæterarum artium adminiculis  
probè instructus huc accedat. Tum verò bona autorum me-  
liorum pars euoluenda erit, cum quidem ciuilibus prudentiis quam-  
uis post

nis post Theologiam partes in disciplinis principes obtineat,  
 Encyclopadian tamen consecuta dici non potest, nisi suis co-  
 mitata pedissequis nimirum artium & philosophiæ præsertim  
 Ethicæ ministerijs, vti admonet etiam Claudius Canciuncula.  
 Ergone encyclos disciplina hodiè in ICTo requiritur, quæ sanè  
 nec Azoni, multo minus eius discipulo Accursio, neq; Bartolo  
 aut Baldo contigit, magnis illis antesignanis & iurium lucer-  
 nis: Equidem vti in singulis artium generibus ferè non excel-  
 limus, ita tamen earum omninò rudes esse non debemus, &  
 vt prædictus D. Canciuncula ait, exactâ adeò omnium discipli-  
 narum notitiam à ICTo non requirimus, satis est eum esse eius  
 de quo sermo fuerit non inscium, Præsertim hac ætate qua  
 studia omnium artium effloruerunt & ad fastigium peruene-  
 runt, & vt Liuius de sua Roma inquit, mole laborant sua: Neq;  
 etiam ipsis tantis ICTis doctrina artium omninò peregrina fuit,  
 prout ex Commentarijs eorum liquet. Proinde quò quis li-  
 beralibus disciplinis instructior accesserit ad hunc legum Oceā-  
 num, eò minus periculum & facilius ad partem accessio erit.  
 Neq; enim inter nocturnas tenebras & sentes, quales absq; lumi-  
 ne artium, doctrina iuris plurimos habet, tam facilis & iucunda  
 via, quam medio sole inter flosculos & amœna vireta expacia-  
 ri. Nisi enim instrumentum & ceu euerticulum artium acce-  
 dat,

*Est equidem tricus fecundum, errorèq; crescit  
 ius Labyrinthæis in flexibus irretitum,  
 Vsq; nouo collo ceu trunca renascitur hydra.*

Et hinc de ICTis qui quæstionib. operam dabant & de iure re-  
 spondebant, Iuuenalis agens inquit,

*Qui iuris nodos & legum ænigmata soluat,*  
 De historiarum prophanarum cognitione quæ ad solidam iuris-  
 prudentiæ intelligentiam requiritur, iam dicendi locus non est,  
 ex quibus nimirum antiquitatum Romanarum scientia hauri-  
 tur, quarum ignorantia sæpè hallucinatus est noster Accursius:  
 Neq; de historia sacra dicimus, sine cuius noticia vmbra rerum  
 tantum apparent, quæ varijs Impp. Constitutionib. in I. lib. C.

noſtri traduntur de trinitate & fide catholica & de 4. Oecumeni-  
cis Synodis, eaſque quæ ſequuntur, Imò ius vniuerſum abſque ſacris  
literis mutilum & mancum eſt, cuius penetralia in ipſis fontibus  
h. e. decalogo & iure naturæ quærenda & eruenda ſunt, & ad  
præſcriptum diuinæ regulæ conferenda, vt inferius magis perfe-  
quemur. Hic iterum ſuboritur in multorum animis ille ſcru-  
pulus difficultatis, quam iuris ſtudium ſecum trahat, vt plerique  
multitudine ac varietate rerum onerati id deſerant, vel etiam  
magna cum diffidentia arripiant. Noui equidem inter eos qui  
in ſtudijs legum mecum deſudarunt, cum inſalutatis Muſarum  
foribus & vix leuiter artium logicarum documentis deguſtatis,  
faſtu quodam turgidi ad ſublimes Aſtrææ ſedes, magnum ſcili-  
cet illud Corpus iuris ſi Dñs placet conuolaſſent, & in vaſta illa  
volumina celeberrimorum iuris monarcharum Bartoli, Baldi,  
Felini, Panormitani ſiniſtro fato irruiſſent, ſolis gloſſematis Ac-  
cuſianis nixi, iſs paulatim animoſos illos ſpiritus efferbuiſſe &  
cor in genua quod dici ſolet decidiffe, eoſque tandem palinodiam  
cantaffe. Ea eſt ſiquidem præpoſteri ſtudijs culpa & ſalarium.  
Et ſanè illis vſu venit quod morioni cuidam, qui exportandis li-  
gnis cum inſimos quoſque ponderoſiores truncos ſubtraheret,  
Rogatus cauſam reſpondit, Primo quoque loco partem negotij  
quæ laborioſiſſima eſt, abſoluendam eſſe. Sed vulgo notum,  
malus ordo, mala confuſio. Præcedat ſanè linguarum & arti-  
um præſertim logicarum ſcientia, ſequatur ſublimeris philoſo-  
phiæ ſi non abſoluta, attamen aliqua cognitio, prout hæ diſci-  
plinæ liberales catena quadam vinctæ altera alteram trahit & ad-  
iuuat, tum bonis auibus ad Iuriſprudentiæ excelsum culmen  
proſiliendum, & eatenus Iuriſprudentia diuinarum atque huma-  
narum rerum notitia erit. Et vt hoc Corrolarij loco de artibus  
ſubiiciamus, magnum earum etiam ob hanc cauſam vertitur  
momentum, quod iſs cognitis, ſtudium iuſtitie & virtutum ſi-  
mul animis inſtillatur, magnitudo etiam & ſuauiſſima ciuiliſ ſapien-  
tiæ magis innotefcit. Proinde neglectis artibus, certè doctrinæ iu-  
ris magna fit iniuria neque iuſtus honos habetur, ad cuius ſacrari-  
um miniſterio earum deficiente nemo perueniet. Et ſiquidem vi,  
aliqua

aliqua vel temeritate eò quis delabatur, quales sunt conductitij  
plæriq; rabulæ, spirantes vacui mendacia folles vt Iuu. ait, ñ cen-  
struma quædam ciuitatis & fori concutere non pacare Remp.  
solent, non dirimere sed morari & turbare causas, non iustiti-  
am sed legum inscitiam profitentes, publicam & Deo & homini-  
bus execrabilem sycophantiam exercent, bonorum extortores,  
legum contortores, quos Bart. vocat impios & auaros in l. om-  
nes populi 9. de iust. & iu. Iason excoriatores pauperum in §  
tripli. Iust. de act. Et alibi Canes curiarum & Deuoratores ciui-  
um, qui plærunq; omnia mala mouent vt inquit gl. in l. ab Ana-  
sthasio 23. C. Mandati. Vel etiam si quis inscitia eò stultitiæ pro-  
ruat, nimis matura pœnitudine & pudoris notam incurret & ve-  
lut ictus piscator & Phryges serò sapiet vt diximus. Prædicto er-  
gò ordine seruato, attende quid Cicero de facilitate iuris discendi  
scribat lib. I. de Orat. Omnia sunt posita ante oculos, colloca-  
ta in vsu cotidiano, in congressione hominum atq; in foro, neq;  
ita multis literis aut magnis voluminibus continentur. Eadem  
enim sunt elata primùm à pluribus, deinde paucis commutatis  
verbis etiam ab ñsdem scriptoribus scripta sunt sapius. Accedit  
verò quod facilius percipi cognoscijq; ius ciuile possit ( quod mi-  
nimè plæriq; arbitrantur ) mira quædam in cognoscendo suauis  
& delectatio. Nam si quem aliena studia delectant, plurima est  
& in omni iure ciuili & in Pontificum libris & in 12. tabulis anti-  
quitatis effigies, quod & verborum prisca vetustas cognoscitur,  
& actionum genera quædam maiorum consuetudinem vitamq;  
declarant, Et quæ sequuntur id genus alia apud Ciceronem.  
Idem pro Muræna de scientia iuris loquens ait: Difficilis autem  
res ideò non putatur, quod & perpaucis & minimè obscuris lite-  
ris continetur &c. In eandem sententiam Fab. lib. 12. c. 3. Omne  
ius inquit quod est certum, aut scripto aut moribus constat, Du-  
bium æquitatis regilla examinandum est: Quæ scripta sunt, aut  
posita in more ciuitatis nullam habent difficultatem, cognitio-  
nis enim sunt non inuentionis, At quæ Consultorum responsis  
explicantur, aut in verborum interpretatione sunt posita, aut in  
recti prauiq; discrimine. Vim cuiusq; vocis intelligere aut com-  
mune

imūne prudentiam est aut proprium oratoris, Aequitas opti-  
mo cuiq; notissima est. Et ipse Iust. in Inst. suis sub rub. de fidei-  
com. hered. Nobis inquit in legibus magis simplicitas quam  
difficultas placet. Hæc de facilitate Iurisprudentiæ malui tanto-  
rum virorum iudicio & oratione afferre, vt communis illa de  
difficultate ciuilibus scientiæ querela hominum animis eximatur,  
quam sanè illa titulorum, legum & constitutionum Imp. am-  
plissima seges parere videtur, cum tamè longè maxima pars earū  
in ff. & C. inter se conueniat, plurima etiam ingemuntur nullo  
aliquo discrimine. Modò enim iustus iuris discendi ordo serue-  
tur quem in genere diximus, res in vado est & quod dici solet:  
Dimidium facti, qui benè capit, habet. Tum etiam modò intri-  
catas illas iuris salebras & inanes quæstiones veteri seculo relin-  
quamus, id quod plusquàm Herculeo labore, perniciosissima  
autem *παρεργεία* scrutabatur minutias & tricas illas Substitutio-  
num, Vtriusq; quartæ Falcidiæ & Trebellianicæ, Contributio-  
num, Suitatis, Regulæ Catonianæ &c. In his inquam & id ge-  
nus similib. labyrinthis maiorum nostrorum seculo ingeniosi  
quiq; multum laborabant, & si quam subtilem interpretationem  
excogitassent, q. de victoria triumphum cantabant, nihilomi-  
nus tamen Syssiphi saxum volutabant. Præterea vt Budæus scri-  
bit in præmissa definitione Vlpiani, Nusquam res exitum inue-  
niet, si eos sequamur qui studio famæ alicuius scribentes, dicta  
maiorum refellunt, Pandectarum & Constitutionum scripta  
inuertunt, distorquent, contorquent, corrumpunt, vim anti-  
quorum scriptis afferunt, verborum aucupia, syllabarum tendi-  
culas, literarum decipulas comminiscuntur, vnde vsuueniat  
quod singuli iuris apices non modò pugnam sed etiam bellum  
intestinum inter homines factiosos cièant, & res semel iudicata  
nunquam præiudicata maneat. Hæc sunt quæ ad priorem sen-  
tentiam de definitione Iurisp. explicandam in præsentiarum  
conferre putavi, & *μαθήσειον καὶ σαφείσειον*, leuiter etiam *καὶ ἡ  
συμβεβηκός* adductis hīs quæ tutissimam & compendiarium viam  
ad legalis scientiæ studium sternunt, Nam quæ adhuc in specie  
hic dicenda erant, nec propositi est nostri & celeberrimi quiq;  
ICTI



ICTi hanc operam felicissimè profecuti sunt, vt Ioannes Baptista de Gazalupis, Claudius Cantiuncula, Franciscus Duarenus, Christophorus Hegendorphinus, Eguinarius Baro, & acutissimus nostri temporis & indefessus ICTus Matthæus VVesenbecius præceptor meus omni reuerentiæ cultu obseruandus, Itidem fecerunt integris scriptis Gribaldus & M. Antonius Massa, quos quisq; consulere potest. Progrediar & breuibus absoluam alteram sententiam Accursij, qui crassa vt Budæus asserit Mynerua definitionis nostræ verba intelligit, & sanè SS. Theologiam cum ciuili Iurisp. confundere videtur. Quoniam enim de rebus sacris sub plærisq; rubricis agitur, à parte ad totum subsumendo theologiam vniuersam in legibus proponi quæ ICTo sufficiat, minus verecundè asserit, sicut et Nicasius. In iure enim plurimæ reperiuntur ordinationes de religione, de reb. sacris, de personis Ecclesiasticis, quantum scilicet ad externas ceremonias & ritus attinet, vt apparet ex toto tit. C. de SS. eccles. De Episcop. & Cler. De summa trin. & fide cath. Quatenus ergò externis ritibus res diuinæ tractantur, fortè definitio Vlpiani subsistit, non quatenus Evangelium notitiam diuinam tribuit, quæ ex solis patefactionib. & promissionibus diuinis & non ex præscripto philosophicarum legum constat. Iurisprudencia enim tantum est pars philosophiæ & quidem moralis, à qua in hoc tantum distat, quod necessariorum virtutū ciuilem quandam executionem habet. Et sanè Vlp. respexisse videtur ad ius publicum quod consistit in sacris Deorum ceremoniis, Sacerdotibus & Magistratibus, Item in rebus sacris, sanctis, religiosis, quæ quidem dicuntur iuris diuini in l. 1. de rer. diuis. in pr. Licet Iustinianus Reip. feliciter administrandæ natus & singulorum vtilitati atq; communi paci magis intentus, ius publicum post Pontificum libros maxima ex parte tractandum relinquat. Sacrorum enim administratio penes collegium Pontificum erat ut in l. 2. § omnium tamen. De orig. iu. atq; ita sanari definitio potest, suffragante mihi præclarissimo ICTo D. Mynsingero in suo Inst. apotelesmate. Et quid si dicamus posteriora verba definitionis, loco Correctionis subijci, ita vt restringant priora, ad hunc sensum quasi dicatur, Humana

humanarum & diuinarum rerum noticia, quatenus iusti & iniusti  
scientia in ea vertitur h. e. quatenus de eo quaeritur, iustum vel  
iniustum quid sit. Nam si extra hoc quid proponatur, facti quaer-  
stio erit non iuris, quam Scauola Ictus arbitratus à se alienam  
ad alios reñcere solebat, vt constat ex l. Seia 20. de instructo &  
instr. leg. cum multis similib. Vel fortè φιλαυτοί quidam Icto-  
rum veterum ob excellentiam ingenij & doctrinae, quibus Vlpianus summus à Papiniano ( qui iuris asylum dictus ) Ictorum  
princeps annumerari posset, hanc diuinarum & humanarum  
rerum notitiam sibi arrogarunt, quum in omnibus ferè artibus  
& disciplinis versati de quacunq; quaestione ad se delata respon-  
derent: In quam sententiam de Ictis Cicero lib. 3. de Orat. scri-  
bit, Ad hos & in foro ambulantes & in solio sedentes domi ita  
adiri consuevit, vt non solum de iure ciuili verumetiam de filia  
collocanda, de fundo emendo, de omni deniq; negotio & of-  
ficio referretur, de diuinis & humanis rebus vniuersis &c. Hinc  
factum attestante solertissimo illo alienorum scriptorum Cory-  
caeo A. Turnebo in aduersarijs suis, vt Vlpianus ambitiosè af-  
fectet sapientiae munus, eiusq; ornamento arti suae decus quaer-  
rat, cuius sapientiae scientiam libenter philosophis adimeret, suis  
attribueret, Et magis subiicit, Qui etiam mihi videtur in philo-  
sophorum inuidiam & contumeliam appellasse Ictos iustitiae  
sacerdotes, q. Deae cuiusdam cultores, propterea quòd philoso-  
phi Stoici, suum sapientem solum verè Sacerdotem profite-  
bantur, quum Vlpianus assimulatam non veram nec sinceram  
eorum philosophiam praedicet. Sed & sententia Accursij ali-  
quomodo sanari potest ideò, quòd Tertullianus Ictus pulchrè  
scribat: Semper hoc q. legibus inesse, vt ad eas quoq; personas  
& res pertineant, quae quandoq; similes erunt in l. ideo 27. de  
legib. vbi gl. Vnde Accursius non imperitè vocabulum Diuina-  
rum ad religionem nostram & coelestium legum cognitionem  
transfert, cum quaedam Codici ascripta sint, quae pertinent ad  
religionem nostram sed implicite ut Dialectici loquantur, quaer-  
tenus scilicet religio Christiana & decreta piorum conciliorum  
hic approbantur. Neq; tamen hinc consequitur, Christiano  
homini

homini aut iusto Icto hanc qualemcunq; sacrarum literarum  
particulam sufficere, licet articulos fidei nesciat explicitè & om-  
ninò de essentia & voluntate Dei, & de capitib. Christianæ do-  
ctrinæ purioris fundamentalem rationem reddere non possit.  
Idq; ex dictis scripturæ hinc inde liquet, Scrutamini scripturas,  
quia illæ testificantur de me Ioan 5. Lex Domini semper sit in  
ore tuo Deut. 30. A puero noueris sacras literas quæ te possunt  
erudire ad salutem 2. Tim. 3. cum similib. Et si rem altius indaga-  
mus, verissimum est, Iurisprudentiam illam germanam, esse vel  
esse debere tam diuinarum quàm humanarum rerum scientiam,  
vt non sit Ictus verè qui non idem optimus sit Theologus.  
Nam quod Celsus ait Ictos profiteri artem æqui & boni, Et  
Vlp. eos iustitiæ sacerdotes vocat in l. i. de iust. & iu. Item Ser-  
uius Sulpitius iuris antistes appellatur autore Fabio lib. ii. c. i.  
Id inquam citra cœlestis doctrinæ scientiam fidem veri habere  
nequit. Hinc meritò ciuilis sapientia nominatur res sanctissima,  
precio nummario non æstimanda nec dehonestanda teste Vlp.  
in l. i. § i. de varijs & extraord. cog. Theologia enim primaria  
Iurisprudentiæ pars est, quæ non ex Solonis aut Decemuiralib.  
tabulis, imò nec è duabus illis faxeis tabulis pendet, multò mi-  
nus in Ictorum aut Impp. placitis acquiescit, sed diuinas illas  
tabulas quidem, decem nimirum edicti perpetui verba ceu initi-  
um & testimonium voluntatis diuinæ habet, & quæ hinc depen-  
dent digito omnipotente in sacris literis notata & illustrib. testi-  
monijs confirmata ob oculos ponit, Quæ est vera tandem sca-  
turigo & ars omnis æqui & boni. Principio enim ipsa quidem  
legum seu iuris ciuilis origo ex decalogo emanat, in quo Deus  
suam voluntatem, sapientiam & iustitiam ceu in speculo propo-  
suit, eiusq; radios seu notitias in nostras mentes in prima ho-  
minis protoplasti creatione transfudit, quæ sint regula vitæ no-  
stræ cum voluntate & sapientia Dei in externa morum disciplina  
congruentis, Id quod nominamus ius naturæ, ius inquam vt D.  
Paulus loquitur ipsius Dei humanis mentibus diuinitus inscri-  
ptum, vt quemadmodum nauæ curriculi sui regulam Cynosu-  
ram habent, ita homines politici amussin quandam haberent,  
cuius

C

cuius

cuius perpendiculo leges gubernarentur & dñdicarentur. Hinc ergò apparet quid sit Lex, quid ius, nimirum immota & æterna Dei sapientia & iustitia, nobis ingenerata & indelebilibus notis insculpta, quam etiam voce decalogi & testimonijs evidentibus repetiuit & declarauit, cotidianis etiam adhuc pœnarum & mirabilibus exemplis in legis suæ contemtores declarat. Ergò sanè fateamur, Iurisprudentiam diuinarum etiam rerum noticiam meritò dici debere, cum leges non sint nudæ quædam Phocylidis, Pythagoræ aliorumue philosophicæ parenæses & sententiæ morales, sed oracula ab ipso Deo Opt. Max. profecta, quorum principia & demonstratio est infallibilis, noticijs nostris de diuina voluntate naturalibus stabilita & immutabilis, & quæ non aliter atq; consequentia numerorum naturaliter agnoscitur. Proindè cum Arithmetica & Dialectica tanquam singularia Dei dona admiramur, quæ cognitione numerorum & demonstrationibus ratiocinabilibus nituntur, cur non concedimus vel potius admiramur, Iurisprudentiæ artem ex hisce noticijs naturalib. imò diuinis natam, quæ multò certius quàm aliæ notitiæ atq; artium ideæ vitam regere possit. Beneficio enim eius artis h. e. adminiculo noticiarum naturalium & demonstrationum, item Consequentia vel extensionis ob paritatem rationis vel casuum, paulatim Icti veteres pro sua sagacitate & Reip. vsu, vniuersum hoc legum systema coäptarunt & decalogo subiecerunt, quæ quatenus à noticijs primis practicis non degenerant, pariter instar præceptorum diuinorum censentur omnes. Ex quo consequitur, legum ciuiliū fontes semper esse inquirendos, vt cum archetypo decalogo consentiant, & rationem ex decalogo trahant necessariam, vel vt ex ratione probabili, honesta & concinna causam habeant, quæ quidem alia atq; alia magis euidens esse solet. Tum .n. vt Aristoteles ait, vnumquodq; scire arbitramur, cum eius causas & principia cognoscimus, de quo eleganter Gribaldus in sua methodo studendi c. 4. & 5. Ita vt vno exemplo res fiat clarior. Interesse penditur venditori ab emtore, si à die traditionis precium non numerauit, ideò quia fruitur re emta, vt in L. Iulianus 13. § ex vedito 17. de act.

de act. emti & vend. Fundamentū seu ratio pendet ex l. 4. secun-  
dæ tabulæ decalogi, qua sancitur æqualitas, Et vt nos aliquando  
lusimus,

*Quæ duo tresue simul sententia consona testes*

*Offert, fit gestæ regula certa rei.*

*Quæ uel millenos discors sententia testes*

*Offert, indicij robur inane gerit.*

*Hæc latet in pulcris disconuenientia causis,*

*Forsitan unius uox, ea nulla uiri est.*

Vt Deut. 19. Num. c. pen. l. vbi numerus 12. de testib. l. iurifia-  
randi 8. C. eod. Plenè Cyn. in l. 2. C. quæ sit longa consuet. Alex.  
de Imola conf. 20. in 4. vol. incipiente Repetio in causa. in pe-  
verf. & ad legata. Lud. Rom. conf. 30. Sed ne hæc quidem scien-  
tia diuinarum rerum ICTo sufficit, nisi essentiæ & voluntatis di-  
uinæ plenior cognitio etiam ex Euangelio accedat, cuius Euan-  
gelij altum in legibus ciuilib. & vniuersa philosophia silentium,  
imò his ipsis sæpè ex diâmetro aduersatur. Ingens etiam Prophe-  
ticorum & Apostolicorum scriptorum cum legibus politicis di-  
scrimen est, non quod eas omninò improbent, sed autoritas ea-  
rum in quibusdam eleuatur, & infringitur, neq; saltem externam  
disciplinam verumetiam lucem & iustitiam cordis internam ma-  
ximè ab homine renato requirant, quorum collatione nescio  
quàm illustri loco leges positæ magis irradiant, animosq; homi-  
num in amorem & reuerentiam sui pelliciunt, & magis magisq;  
de certitudine earum confirmant. Hinc est quod Carolus Moli-  
neus in suo tractat. de Usuris inquit nu. 70. Se experientia didi-  
cisse sine cognitione sacrarum literarum non posse leges nostras  
rectè intelligi, nec ad verum scopum dirigi & multò minus rectè  
practicari. Et hic ipse Molineus mecum consentit, hunc tandem  
esse genuinum nostræ definitionis sensum, Quod ea verba Diui-  
narum rerum, de lege diuina & eloquijs Dei sint intelligenda, vt  
d. loco plenius. Et Iustinianus proœmium suarum Inst. ab inuo-  
catione nominis diuini orditur, id quod Ioachimus Hopperus  
ideò fieri autumat, quòd omnia iuris nostri præcepta pro Chri-  
stianis haberi debeant, quatenus non aduersantur religioni Chri-  
stianæ, Sed verisimilior hæcne ratio est, vt iuris nostri præcepta

religioni Christianæ subijciantur nec valeant, si cum ea pugnare appareant, prout vulgatum est illud in Nouella Iust. 83. sacras & diuinas regulas nostræ sequi non dedignantur leges, Et vt Baldus alicubi ait, Verbum & legem Dei supra omnes leges Prætorias & Imperatorias præualere. Ideoq; æternus legumlator hanc Iurisp. definitionem in summa rerum diuinarum inscitia nihilominus verissimam & ex ore & calamo cùm philosophorum tum Icto- rum extorsisse & studiosis iuris ob oculos posuisse videtur, vt commonefaceret hominem Ictum doctrina religionis multò maximè instructum esse oportere, cuius rei suffragia occurrunt eorum præcipuè, qui negotiorum & iudiciorum exercitijs excel- lunt, quibus præsertim

*Ingenium non ulla malum sententia suafit.*

Tantum in præsentia de definitione Iurisprudentiæ Vlpiani, non quod maiorem dicendi vim ingeniosis suppeditet, sed quod ita ratio huius loci & temporis requirat: Et satis est hætenus audi- uisse ciuilem sapientiam esse rem sanctissimam, quam nemo nisi Sacerdos iustitiæ contrectare, nemo nisi artium cultura probè imbutus accedere debet, & quidem nucleum & animam legum ciuilium, coelestis nempe doctrinæ cognitionem coniungere omninò opus est. Satis est animaduertisse, leges ipsas non esse nuda ethnicorum quorundam Ictorum & Impp. placita, sed eloquia & munera ipsius Dei, quibus hæc humana societas in publica pace continetur & conseruatur, quarum studio quot- quot occupantur, salua optimæ conscientiæ fiducia & religio- nis Christianæ titulo oblatam diuinitus eamq; laudatissimam in genere humano sese administrare Spartam gloriari possunt. Re- uerenter autem ñs singulis & vniuersis gratias ago, quotquot in hoc amplissimo & honestissimo docentium & discentium coetu coràm sunt, & beneuolentiam atq; humanitatem suam erga me communi amore optimarum literarum & cognatione animo- rum nostrorum re ipsa palàm declararunt, vt verè cum Menan- dro exclamare possint, ὡς ὑδὺ συνέσει γησότης κεκεραμένη. Præci- puè verò & ante omnia reuerendo & magnifico Vicereктору, D. TIMOTHEO KIRCHNERO Theologiæ Doctori, strenuo

& no-

& nobilissimo D. BURCHARDO à KRAM illustrissimi Principis & Domini nostri clementissimi, D. IULII &c. Locotenenti, nobilissimo & celeberrimo ICTO D. IOACHIMO MYSINGERO à Frundeck omnibus & singulis patronis & amicis meis reuerenter obseruandis, Tum reliquis in hac illustri academia IULIA philosophiæ & facultatum dignissimis antecessoribus magna animi deuotione gratias ago, qui molestis occupationum aulicarum & doctissimarum scholarum suarum hoc ocij vel potius negocij subtraxerunt, vt nostram de maximis rebus infantiam & extrema illa ciuilibus scientiæ monogrammata cognoscerent, Tum etiam pariter cæteris ornatissimis auditoribus quicumq; studio vel nostri vel amore literarum accesserunt, ad officia gratitudinis ijs quibus par est & mutuæ beneuolentiæ modis fieri potest me offero, & Quod superest, maximè gratias ago Deo æterno Opt. Max. Patri mediatoris & saluatoris nostri Iesu Christi, qui in hac extrema mundi senecta, inter tristissimas scelerum & furorum confusiones nihilominus Ecclesias & Scholas conseruat, quæ sunt ceu seminaria & alueoli quibus doctrina legum & cœlestis doctrinæ reconditur & conseruatur, vt sint neruus pulcherrimæ consociationis & honestæ disciplinæ in vniuerso genere humano, neq; politiæ in tyrannica imperia degenerent: Eumq; æternum Deum vnà cum filio eius coæterno & cum S. S. pariter oramus omnes, vt qui fons & autor est legum & politici ordinis, ille seruet & regat politias quæ sunt hospitia ecclesiarum, Mittat & conseruet administrandis Rebusp. Principes viros, iustitiæ & morum seueros vindices, strenuos ecclesiarum & scholarum præfules atq; nutritios, qualem in his terris illustrissimum & generosissimum Principem & Dominum, D. IULIUM, Ducem Brunf. & Lunæburgensium &c. Dominum nostrum clementissimum æterna nobis singulari munere concessit benignitas, cuius mens à verè diuino numine agitata & paterno erga subditos affectu impulsâ in hanc incubuit & hodiè incumbit curam, vt felicib. auspicijs hæc illustris Academia IULIA fundata insignes vitæ, doctrinæ & virtutum laude viros & DD. huius Academiae præfides habeat, Eum ergo Principem

ἀρχόντα ἀγαθὸν ὅς ἀγαθοῦ πατρὸς οὐδέμ διαφέρει huic 'Academiae  
& vniuersae Ecclesiae diu incolumem conseruet & in longè p̄sisi-  
mo consilio S. S. adiuuet, regat & confirmet, Et eximios quosq̄  
huius Academiae proceres atq̄ vniuersam hanc egregiorum iu-  
uenum congregationem indissolubili concordiae vinculo de-  
uinciat, perpetuo pacis communis cuniculo contineat, & in his  
periculosissimis temporum fatibus ala brachij sui custodiat, defen-  
dat, augeat & ornet, vt ad sui diuini nominis gloriam & publi-  
cam hominum salutem leges, iudicia, omnesq̄ nerui disci-  
plinæ conseruentur, & lux Euangelij inter nos il-  
lusa maneat, & semper Deo eccle-  
sia sancta colligatur.

D I X I.


Ἐκ πόντος ἰκέλει.











B.I.G.

Farbkarte #13



45

IO DE  
DENTIA.

m & humana

NOTITIA, IV-  
NIVSTI SCL  
um Vlpianum in l.  
e iust. & iure.

NO LVN AEBVR  
ato publicè proposita

EMIA IV

MSTADII

Septemb.  
575.

*In cyplo*

ad Quintium.  
quod audis,  
nis te Roma beatum.



BVRGY,  
DREAS GEHEN,  
LXXV.

